

2

DE VNIVERSO, ET QVIBVS IL-
lud constat, varijs corporibus.

THESES PERIPA-
TETICÆ.

QVAS PRO
CONSEQUENDA
SVPREMAM IN PHILOSO-
PHIA LAUREAM CAPESSENDI
LICENTIA DEFENDET
MENSE IVLIO
DIE

Eruditus artium liberalium & Philos. Baccalaureus.

GEORGIVS IVRLITSCH SERENIS:
Archiducis Austriæ FERDINANDI Musicus.

PRAESIDE

R. P. GVLIELMO LA-
MORMAINI PHILOSOPHIAE MA-
gistro, & in eadem Academia Professore.



GRATII STYRIA,
Excudebat Georgius Widmanstadius.

M. D. C. IV.



DVm flava coctis frugibus imminet
Messis, diurnis vsta caloribus.
Et bassa spicis arua poscunt
In segetem properare falcem:
Metit colonus iugera qua serit
Felicitas agri. Te seges expetit,
FERNANDE Princeps, hæc sophorum
Nata solo. Tua dextra falcem
Submittat: omnis nam tibi floruit
Nostræ laboris fructus, & horreo
Tuo referri querit: Aruum
Tu dederas, scideras, rigaras.



SERENISSI-
MO, POTENTISSIMO-
QUE PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO FERDINANDO ARCHI-
DVCI AVSTRIÆ, DVCI BVRGVN-
DIAE, STYRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLÆ, &c.
COMITI TYROLIS & GORITIAE, &c.
DOMINO CLEMENTIS-
SIMO.

Germanam fælicitatem.

VIRTUTEM seipsa magnum
humani generis decus & or-
namentum esse, illud argumé-
to fuerit, quod nemo vñquā si-
ue sanguine, siue opibus & po-
tentia clarus absq; egregia ani-
mi virtute singularem, & cum insigni aliqua
laude coniunctam nominis gloriam retulerit:
nemo obscurō & ignobili loco natus, vel au-
thoritate caruerit, vel ex natalibus detrimen-
ti aliquid ceperit, vel demum opibus si eas
consectari voluisset, quā maximis affluere nō
potuerit. Nimirum ea hominem ornant, ea
celebrem, opulentum, fœlicem, immortalem

faciunt, non quę temerarię fortunę libidi ni,
quę fidem muneribus seruare non potest, ob-
noxia sunt; non incerto hominum fauori ni-
tuntur; non demum in maiorum fama & glo-
ria collocantur: sed ad æternam diuini nu-
minis effigiem cōformata, imaginem quan-
dam illius viuam, stabilemq; exprimunt, &
hominem perquā simillimum D E O, à quo
conditus, & ad virtutem aptus natus est to-
ti mortalium generi repræsentant. Enim
uero viuet talis dum robora tellus, dum cœ-
lum stellas, dum vehet amnis aquas, & vt ali-
us quidam cecinit, Dignum laude virum se-
cla vetant mori, expersque sepulchri seræ po-
steritatis habebit notitiam. Atque hoc in
omni hominum ordine, statu, & conditione
operatur virtus, vt nemo sine illa celebris, ne-
mo cum illa obscurus, atq; adeo vir optimus
nunquam fuerit ignobilis. Etsi enim homi-
num s̄æpe iniuria & obrectatione, s̄æpe etiā
temporum iniuria & calamitate illustris alio-
qui virtus quasi in tenebris & tempestate non
appareat, vbi tamen fluctus illi conciderunt,
& iniuria hominum expleta, longe etiam clari-
or illustriorque euafit. S̄æpe enim in viuis
liuor pascitur virtute, qui si non citius, mini-
mum post fata quiescit. tum vero vnumquęq;
quæ-

quæsitus ex merito tuetur honor. Quod si
vero eadem illa virtus quæ per seipsum ita
splendet, cum insigni natalium & sanguinis
laude, maiorum fama & imaginibus, opibus
etiam & præclarè agendi facultate in aliquo
conspirauerit, tum vero illum ornat diuinus,
& ipsa etiam quasi in illustri loco posita mul-
to etiam magis maiestatem & pulchritudinem
suam commendat. Ut enim verum est illud,
aliena laudare eum, qui absque virtute genus
laudat suum; ita certissimum est qui bonus &
fortis à fortibus & bonis procreatus recto cul-
tu pectus roborauit, & cum patrimonio pa-
rentum etiam indolem hæreditauit, eidem
sanguine longo & stemmatibus censeri, & pi-
ctos maiorum vultus ostendere plurimum, siue
ad virtutis commendationem, siue ad no-
minis famam & immortalitatem prodesse.
Neque enim erat aliud, quod seueros nobili-
tatis censores & reprehensorum induxit, ut
tanto cum stomacho propemodū contra il-
lam furerent, nisi quia sanguinis & natalium
splendorem sordidi & profusi nepotes turpis-
sima vita, & contaminatissimis moribus ob-
scurauerint; omnem laudem, omnem glori-
am sine illa propria virtute, ex maiorum ge-
stis aucupantes. Quis fructus generis, ait qui-

dam, tabula iactare capaci fumosos equitum
cum Dictatore Magistros : si coram lepidis
malè viuitur ? Effigies quò tot bellatorum si
luditur alca pernox ? Tota licet veteres exor-
nent vndique ceræ atria, nobilitas sola est at-
que vnica virtus. Si enim defecere mores,
multo etiam magis benè nata culpæ dede-
corant. Et profecto sicut vitia latent inter hu-
miles, & cum ipsis authoribus in tenebris de-
litescunt; & malefacta tantò conspectius in
se crimen habent quanto maior qui peccat
habetur: ita quando is qui nobilitate &
dignitate eminet, potestate & genere non in
malitia & scelerum seminarium abutitur, sed
quanto ei plus licet tanto minus libet, eius
præclarè facta tantò conspectius in se nomen
habent quanto maior qui gessit habetur. Hæc
eo à me dicta sunt Sereniss: Archidux, ut in-
telligeres quanto in precio singularis virtus,
& omni honestare cultus exercitatusque ani-
mus tuus ab omnibus qui sine amaritudine &
inuidia te tuaque æstimare volunt, iure meri-
tò habeatur. Sunt profectò in te omnia quæ
in summo Principe desiderari possunt orna-
menta præclarissima, quæ cum te pulchritu-
dine & maiestate sua spectabilem veneran-
dumque reddant, illa etiam ab Imperatoria
stirpe

stirpe tua plurimum splendoris & lucis mutuantur. Ea vero omnia, duo studia tua latissimo sinu complexa sunt, nihil ut optari possit, quod in illis non elucescat. Religionis dico propagandæ, tutandæque amor & desiderium; & doctrinæ doctorumque hominum promouendorum pars curæ & solicitudini industria. Ex quibus duobus studijs prius illud quidquid ad honestatem, pietatem, vitæ innocentiam & integritatem inchoandam, augendam, conseruandam, voluntatem stimulare potest, amplectitur: posterius vero terrimas & perniciosissimas humani generis pestes, Ignorantiam, Errores, falsas de Deo opiniones persequitur. Experta sunt utramque curam tuam Prouinciae, quas propitia supremi numinis voluntate sapientissime habentus moderatus es; quæ cum alijs rebus gestis, tum hoc maximè beatæ sunt, quod pulsis fugatisque & erroribus & errorum architectis, impijs etiam de Deo, diuis, moribus, religione abolitis profligatisq; persuasionibus, synceram fidem, purgatos mores, legitimum cultum aut sequantur, aut proximè fecuturas spe maxima polliceantur. Et erit aliquando posteritas tuis hisce facinoribus grata. Euiciisti nimirum tu quod sperare audax, aggredi teme-

temerarium, vrgere pene $\alpha\delta\upsilon\alpha\tau\sigma$, effectum
reddere tibi tuisque calamitosum credeba-
tur. sed vniuersa hæc excelsa animi indoles,
& inuictum constantia fortitudinisq; robur,
ardentissimum denique religionis, pietatis,
salutis tuæ tuorumq; desiderium superarunt.
quæ omnia vt ad perpetuitatem firma sint,
non imperio & authoritate duntaxat, sed e-
xemplo, factisque foues, confirmas, stabilis.
Literæ vero earumq; studiosi & cultores quâ-
ta accessione creuerunt? Dicent hanc tuam-
laudem illi qui opibus & munificentia tuæ
omnem doctrinam acceptam referunt; di-
cent qui etiamnum honestissimis disciplinis
tua liberalitate imbuuntur; dicent omnium
ordinum homines qui ex Academia & Gym-
nasijis à te constitutis magno Reipublicæ &
Christianæ fidei emolumenro prodierunt.
Ego de me fateor quidquid eruditio[n]is in
mansuetioribus literis asscutus sum; quid-
quid etiam trium annorum spacio in exco-
lendo philosophicis studijs animo profeci,
debere me tibi recognosco. Profeci enim
tuorum opera; profeci in tuis gymnasijis &
Vniuersitate; profeci, liberalitate, fauore, &
benevolentia tua, contra omnes molestias &
difficultates non mediocriter animatus. Cu-
ius

ius tui beneficij atque mei etiam officij ut vadem sponsoremque habeas ipsius mei profectus si non maturum omnino fructum, florrem tamen acceptabis. Atque vero ut præclara erga liberales artes benevolentia tua, Sereniss: Princeps, longior, diuturniorque fit, longam ego, diuturnamque vitam, pacem, felicitatem, cum D E I diuorumq; gloria conspirantem, tibi etiam tuisque ad beatam æternamque vitam salutarem, à D E O Opt. Max. supplex assidue deprecabor. Ex Vniuerfitate tua Græcensi, Mense Iunio, die XXII. Anno M. D C. IV.

Serenitatis vestræ Cliens
& Musicus

Georgius Kurlitsch.

B

DE

DE VNIVERSO
THESES PERIPA-
TETICÆ.

ASSERTIO I.

 *V*ox potuerint infinita summi Dei virtute plures mundi effici, assere-re, & Christianæ fidei, & Rationi consentaneū est, ut ut velit peripateticorum Princeps Aristoteles. Vi-sum tamen eius voluntati diuinæ, unicum numero tantum, non ab ēterno, quod fieri potuit, sed in tem-pore condere, cumque sic undequaque perficere, ut ei aliquid pulcritudinis ad integratatem pertinentis ad-di vix possit. Constat hic corporibus varijs, vario & peruenusto inter se ordine collocatis. Eorum aliud est simplex, idque aut incorruptibile aut corruptibile ; aliud mixtum, vel perfecte, vel imperfecte. Perfecte mixtum, aliud animatum, aliud inanime : Animatum aliud vegetans tantum, aliud etiam sentiens, aliud denique præter hac etiam Ratione perfectum.

D E

DE SIMPLICI IN- CORRuptibili.

II.

Nter totius uniuersi corpora, siue dignitate præcellentia, siue sede ac amplitudine sublimia, digniorem excelsioremque locum obtinet corpus sidereum ac cælestis, substantia quedam simplex, sic dicta, non quod non constet materia, eiusdem prorsus rationis cum sublunari, & forma, que anima non est, ut confingebant aliqui, sed quia ex alijs simplicioribus se corporibus permixtum non est. Que causa est cur non inscīte quinta essentia denominetur. adeo vero est incorruptibile, ut eius forma, cui nunc substermitur, non nisi in termino mundi censatur corrumpenda, & meius locum alia maiori perfectione dotata subreganda.

III.

Cælum globis specie diuersis inuolutum esse probabile ducimus, cuiusmodi undecim numero, præter Empyreum, communis adstruit Mathematicorum opinio. Hi motu, lumine, ac virtutibus alijs nobis innominatis, quas vulgo nominant influentias in inferiora dominatum suum exercent, non sine ingenti corporum, que intra se complectuntur, emolumento. quis enim dicat sublato eorum influxu, imam

hanc mundi partem, posse diu in suo vigore & flore
conseruari?

III.

In orbibus cælestibus lumina specie dissimilia
censenda sunt, siue illa in diuersis, siue in eodem orbe
resplendeant. Horum alia plus, alia minus elucescent.
Sol, quia ceteris sidus magis eximium est, meritò cæ-
teris de fulgore suo communicare afferit, qua tam
non omnino careant proprio, quippe qua in Ec-
clypsi solis suo lumine radiarunt. Quod autem alia
scintillas ejcere, aut perpetuo quasi tremore palpitare
videantur, causa adæquata non est solum medium
ventis concitatum, sed etiam & maxime siderum
ad nos comparatorum interuallum.

V.

Γαλαξίαν seu circulum lacticis veluti candore
perfusum tam fabulosis antiquorum Poëtarum in-
uolui integumentis, nil mirum videri debet. Ipse e-
nim Philosophus eius naturam cognitione non est as-
secutus, dum i. Meteor. afferit eum esse in suprema
regione aëris perpetuum veluti cometam, id, quod
nullo subsistit fundamento. Quare probabilius est
γαλαξίαν, nihil aliud esse quam partem firmamenti
ceteris magis addensatam, & maioris luminis re-
ceptiuam: cælorum enim partes alias esse densiores,
alias rariores arbitramur. Hac etiam causa est, cur
in Luna labecula quedam interdum conspiciantur.

Vel

*Vel si mavis ex probabili aliorum sententia, via la-
ctea est ingens exilium stellarum copia, quæ cum sin-
gula lumen suum adeo exiguum nequeant ad nos dis-
tinctè eiaculari, illud in medio confundunt & com-
miserint, sicque totum circulum efficiunt lucidorem.*

DE SIMPLICI COR- RVPTIBILI.

VI.

 *Orpus simplex corruptibile Elementi no-
mine exponitur. Elementum autem hoc
loco est id Corporum, ex quo primum in-
existente ac indiuisibili specie in aliâ spe-
cier aliquid componitur. Huius rationem genericam
quatuor exhaustiunt species, quarum quævis duplēm
qualitatem, & ut probabilior fert opinio, utramq;
summo & perfecto gradu, in statu naturæ sua conue-
nienti postulat. Ignis itaq; calore pollet & siccitate,
Aer humore & calore, Aqua frigore & humore, Ter-
ra siccitate & frigore. Recte autem ab Aristotele Ca-
lor congregans ea, quæ sunt eiusdem rationis, Frigus
prater bæc, etiam quæ sunt diuersæ, describitur: humi-
ditas vero quæ agre proprio, alieno facile termino
continetur, siccitas è contrario.*

VII.

Licet experientia non aſsequamur Elementū aliquod alicubi eſſe purum & impermixtum (ſenſu e-
nim patet ea, quæ nobis obiciuntur eſſe commixta cū
alijs) probabilit̄ nihilominus opinamur, Ignem ſu-
pra cetera ut in loco debito conſtitutum, ac etiam Ter-
ram pone medietatem tuis uniuersi eſſe in ſuo ſtu-
cannaturali, & cum nullo alio corpore commixtam.

VIII.

Elementum aliud ex alijs, inter ſe decertanti-
bus oriri, nihil prohibet: Plerumq; tamen adeo con-
currūt grauite, ut deletis inuicem formis ſubstantia-
libus (eo quòd conditiones ad formam Elementi ſal-
uandam utiles ac neceſſarias ſibi mutuò praece inſtar
eripiant) materia temperamento peregrino diſpoſita
formā mixti efflagitet; Quippe ipſa materia nuda ab
omni forma eſtire nequit viribus natura, utpote
pars essentialiter incompleta, ac ad formam aliquam
ut ſui complementum natura ſua ordinata.

IX.

Ea nobis arridet ſententia, quæ approbat in mix-
to corpore ſimplicia eo ſolū nomine coniineri, quod
eorum proprietates in eo conglobentur, reprobat autē
ex etiam ſecundum formas ſubſtantiales inueniri. Hæ
verò qualitates nō eo gradu debentur mixto quo Ele-
mentis; ad certam enim temperiem redactas poſtulat
forma mixti. Prater has, & quæ illis interuenien-
tibus

tibus, profusa (secundæ vocantur) sunt in quibusdam mixtis aliæ quædam qualitates caloris & frigoris productiue, que ideo dicuntur virtuales, quod ad calorem frigusue producendum virtute polleant. Huiusmodi est occulta vis piperis Vini, oppij &c.

DE IMPERFECTE MIXTO.

X.

Imperfæctæ mixta in Aëre potissimum à sole alijsq; corporibus caelestibus efficienter producuntur ex vapore & exhalatione, quæ à corporibus, à quibus extrahuntur, specificè ac essentialiter non differunt. Eius generis sunt, nix, grando, nubes, pluvia, cometes &c. Arcus item ille varios præferens colores, sed falsos; Nam in Aere non dantur veri colores, sed apparentes tantum; quo nomine etiam appellantur, veri quidem illi, sed qui aspectui non ita subiiciuntur, quemadmodum eorum natura & ratio exigit eos repreſentari.

X I.

Cometes in suprema Aëris statione primario exicitur, licet per antiperistasis in media possit generari. Hic nihil est aliud, quam copiosa exhalatio, calida, sicca,

sicca, spissa, habens partes, ob viscositatem, tenaciter
cohaerentes: Qui ubi summā aeris regionem conser-
derit, illuc, si quo ad Ignem concipiendum indiget, aptè
disponitur, dein flamma voracitati traditur, occasione
vel Ignis vicini, vel fulminis e nubibus illuc coniecti,
vel etiam occasione commotionis corporum cœlestium,
sed hoc non nisi ex accidenti. Cometa varijs interdum
apparent, alij enim crines, alij comam, alij barbam,
alij aliud referunt: Quæ tamen varietas essentialē
non arguit distinctionem, quemadmodum nec in reli-
quis flammanib[us] in Aere excitatis; Quippe cum eo-
rum cause sint prorsus eadem.

DE PERFECTE MIXTO.

XII.

De perfecte mixtum dicimus, quod non quo-
modocunq[ue], ex quibuscunq[ue], aggregatur,
sed quod interuentu alicuius mutationis
substantialis, verae, realis, ac Physicae pro-
ducitur: Quæ mutatio pro termino A
Quo per se non nisi priuationem formæ, que produci
debet, postulat, licet etiam per accidens terminum ha-
beat posituum ac realem, formas videlicet eorum, ex
quibus generatur.

Ad

XIII.

Ad hoc autem ut actio huiusmodi sit realis ac Physica à causis realibus ac Physicis ducere debet exordium. Huiusmodi quatuor assignat Aristoteles, materialem, formalem, efficientem, & finalem: Quae licet rationem communē cause immediate (immediatus enim in traxinsecam & extrinsecam diuiditur) nec ultimā diuidant: eius tamen essentiam vere ac realiter participant, adeoque integraliter ut omnia qua aliquam videntur habere causandi rationem, ad hac quatuor vulgatae causarum genera reuocentur. Exemplar ergo seu ideam, qua formalem rei facienda similitudinem intellectus artificis inherentem significat, peculiarem cause speciem constituere pernegamus, eam enim commode ad efficientem referimus.

XIV.

Materia est subiectum cuiusque primum ex quo fit aliquid, cum insit non secundum accidens, & si corruptatur, in hoc abibit ultimum. Forma est substantia simplex & incompleta, qua ut actus apta est cum materia completam constitutre substantiam. Efficientes est unde primū mutationis principium. Finis est id cuius gratia aliquid fit. Causalitas materia sicut & forma in compositum est unio, specie ac etiam numero utriusque unica, qua tamen ut est causalitas materia, receptio, ut forma, informatio dicitur. Efficientes & finis per unam item causant entitatem, actionem videlicet, hoc tamen discrimine, quod licet ambo-

realiter, finis tamen solum metaphoricè in effectum influere dicatur, excitando nempe amorem sui vel alterius propter se, in eo quod agit propter finem.

XV.

Actio efficientis causalitas, est exercitium virtutis activa communicantis esse alteri. Hec à passione subiectum formaliter passum denominante solo intellectu separatur: à termino etiam ex natura rei distinguitur. Hac agens nisi totum peruadat medium, nullum laboris impensi percipiet fructum. Duobus agentibus totalibus non subordinatis in actu causandi positis, duos effectus respondere necesse est: etenim efficientium huinmodi in actionem totis viribus incumbentium, pluralitas manifestam infert effectum multitudinem.

XVI.

Actio substancialis seu generatio qua perfecte mixta producuntur, ab accidente ut efficiente pri-mario procedere nullo modo potest: accidentis enim virtus effectiva tam angustis est circumscripta limitibus, ut ad substantiam producendam effectuè non nisi secundario concurrat ac instrumentaliter. Quapropter substantia à sola substantia principaliter, accidens vero non solum à substantia, sed etiam ab accidente dicto modo efficitur.

XVII.

Generatio est mutatio totius in totum nullo ma-nente sensibili ut subiecto eodem. Hac pro termino habet

babet quandoque unionem solam, quandoque etiam formiam substancialē, quamquam ultimā integrum intendat compositū. Ipsa vero est forma quādam non perfecta & absoluta, sed ut via, pro receptaculo nudam, ut vocant, materiam postulans. Ei priuatiū contrariatur corruptio; quae formaliter est desitio totius substancialis, formā vel saluā vel corruptā. Quod si aliquando effectus aliquis per corruptionem esse desierit, eum eundem numero ab integritate reuocari, pristinoque statui restitui naturae vires longè exuperat (saluā interim potentia diuinā); concursus enim primi agentis re non aliud ab actione secundi) ad unum numero effectum semel duntaxat iuxta naturae ordinem debetur & tribuitur.

XVIII.

Generationem praei alteratio motus continuus & successivus, ad qualitatem sensibilem formaliter tendens, ac materiam pro forma per generationem introducenda probe disponens. Ut autem fiat alteratio, aut quāvis alia actio, agens passum sibi difforme debet inuenire: quamobrem nulla qualitas quantumvis actiua (ut sunt inter accidentia omnia sola qualitates) seipsum, aut aliam eiusdem secum perfectionis potest perficere per intensionem, qua est acquisitio noui ac noui gradus à prioribus sola singulitate discrepantis. Quodsi passum agenti primo sufficienter sit applicatum eiusque virtus actiua illius

exuperet resistendi facultatem, reactio & repassio
citradubium consequetur.

DE INANIMATO.

XIX.

Inanimata sunt, quae ad compositionem substantialiem nullo quidem amplius indigent principio, vitalium tamen functionum radice prorsus destituuntur. Huiusmodi sunt lapides, metalla, aliaque in terra sinnu progenita, & ex eius meatibus prorumpentia. Metallum unum in aliud posse commutari substantialiter, vel naturae vel artis beneficio, dato etiam quod formis essentialibus differant, videtur probatissimum: idcirco audiendi non sunt, qui agenti naturali per artem Chimicam rite applicato facultatem auri efficiendi absolute admunt; fieri enim potest omni secluso miraculo, ut per actiuorum ad passim applicationem materia formam argenti vel cupri abiiciat, seseque forma auri subiiciat.

DE

DE ANIMATO IN COMMVNI.

XX.

 *Orpus animatum formaliter constituit anima (qua est actus primus corporis organici potentiam vitam habentis) idque complete, numero unica, unica enim forma substantialis apta est completum cum materia exstruere compositum. Formam ergo corporeitatis & alias, quas alij ad graduum essentialium compositi multititudinem multiplicant, partialesque voculant, omnino repudiamus. Generationem, qua animatum esse accipit, vertex Theologorum D. Thomas, professionem viuentis à viuente in similitudinem naturae, id est, speciei infimae, probè determinauit.*

XXI.

Ea verò viuere dicuntur, que motum, id est, operationem aliquam ab inrinsco principio procedentem apta sunt exercere, etiam dum in statu sibi connaturali subsistunt. Ad vitam calor & humor per se desideratur, quippe cum anima functiones, ad quas ordinatur, sine caloris (ut pote vita operationum instrumenti primary) adminiculo non possit exercere: frigus vero solum per accidens adhibetur, ideo videlicet, ut calorem contemperando eius cohibeat violentiam: hic enim si proualeret nimium, illico humidum per

partes diffusum depascetur, sicque fieret, ut membris arefactis animatum protinus deperiret.

XXII.

Vt autem calor quorundam viuentium attemperaretur commodius, indidit ȳs naturae sator & conservator sapientissimus facultatem quandam motuā, cuius ope & auxilio aerem intus iam calefactum nimium, foras propellerent aliumque recenti frigore commixtum & contemperatum attraherent. Actus huiusmodi respiratio dicitur, cuius principium non in certa aliqua viuentis parte, sed in pluribus, ut sunt pulmones, dia phragma, nerui, & pectoris musculi, continetur. Viuentia omnia pulmonibus constantia uti respiratione certo nobis persuademos: de reliquis sanguineis ȳsdem destitutis in controuersia rem ponimus.

XXIII.

Vita mors insidias ponit in omnibus, unde & illi opponitur maxime; illa enim est permancio anima vegetatricis cum calore, haec separatio eiusdem ab eodem cum iam defecerit. Morti animata omnia sunt obnoxia; nam licet quedam nature & complexionis excellentia, cæli solique clementia, caterorumque incommodorum extrinsecus occurrentium per artem medicam declinatione eam possint aliquamdiu evitare, atque adeò vitam in plures aetas prorogare: nullus tamen artifex quantumuis rerum humanarum peritus tam in arte valet aliqua, ut eius beneficio

cio ad vitam perpetuandam leges & precepta possit
adiuuenire.

XXIII.

Ex triplici gradu excellentie, quo forma, qua anima est, formam qua anima non est, excedit ac exuperat, tria statuimus animatorum, animarumque genera: unam qua vegetationis, aliam qua sensionis, tertiam qua ratiocinij sit principium. Quod si quis animatorum genera ex separatione unius animae ab alia colligeret, ei non contradiceremus: plura tamen quam quatuor statuenti repugnaremus; etenim cetera omnia, qua gradum animati distinctum ab his videntur constituere, huc facile referuntur.

XXV.

Animarum & potentiarum animabus identificatarum idem efficiens per actionem eandem, in eodem subiecto est effectuum. Hinc est quod in identificatas intellectu & anima materia nihil iuris habeat, ab ea enim nec in fieri, nec in conseruari dependent, sed nostro solum concipiendi modo anima inhærente censentur. Quæ vero re idem sunt, cum animabus alijs, ijs maxime suffragatur materia, nam ipsa anima, quæ sunt proxima facultatum omnium principia materia beneficio progignuntur, & ab eadem in esse accepto conseruantur. Eas vero potentias, quæ ex natura rei distinguuntur ab animabus, anima ipsa profundunt per actionem quæ dicitur emanatio.

DE

DE VEGETABILI.

XXVI.

Ecclates animati vegetabilis Philosopho secundo anima textu trigesimo quarto dicuntur naturales, & recte, vegetabilia enim solum cum qualitatibus primis ut & cetera anima carentia operantur, quamquam nobiliori quodammodo, hac enim etiam dum connaturalem obtinent statum; illa solum, dum extra illum constituantur, ideoque ut eum consequantur, mauentur. Facultates vegetativa anima connaturales tres assignantur, Generativa, Nutritiva, & Augmentativa. Generativa inter alias est maxime naturalis viventibus, eo quod unumquodque etiam in anime conetur perennitatem obtinere emulando, quodammodo diuina naturae immortalitatem: quam quia in se ipso virtutis alterius auxilio non assequitur, in simili sibi individuo conatur adipisci.

XXVII.

Nutritiva potentia finis est vita in calido & humido consistentis conservatio: cui cum aliquid decedat per caloris in id actionem perpetuam, aliud ac aliud debet substitui, hac facultate mediatrixe. Augmentativa ideo illi in nata est, ut cum exigua molis, ideoq; ad munera vite obenunda inutile & ineptum enascatur animal, debitam attingeret magnitudinem. Augmentativam à nutritivam ex natura rei differre clarum est;

est ; terminis enim finiuntur diuersis, illa quantitate,
hac uione modo substanciali : per illam formaliter
magnitudo alimenti magnitudini aliti adglutinatur;
per hanc in subiectum alimenti forma aliti introdu-
citur.

XXVIII.

Dari viuentia sola anima vegetatiua pradita, pa-
tet in plantis, arboribus, varijsque herbarum ac ra-
dicum generibus ; his enim omnibus solæ dictæ tres
potētia vitales, & præterea nulla conueniunt. Nutri-
untur autem vegetabilia longe aliter, quam viuentia a-
lia ; illa enim alimento (cuiusmodi purum Elemen-
tum esse posse pernegamus) in terra vtero iam quasi
concoctum ac ritè præparatum per radices attrahunt :
hac illo in seipsis varijs præmissis concoctionibus præ-
parato vescuntur. Attractiua aliaeque ministra po-
tentie nec ab inuicem, nec à Principe nutritionis, cui
famulatum exhibent, ex natura rei distinguuntur,
solum enim in ordine ad functiones varias varia per
intellectum concipiuntur.

DE SENTIENTE.

XXIX.

Via verò sentiens pollet ipsi potentias, quas
vegetatiua anima nec habet, nec habere
potens est conditioni suæ congruas : ve-
getabile ab illo in perfectione longè ex-
D cedi

cedi sentiendum est. Non est autem negandum sentientia aliqua non posse progredi, cuiusmodi sunt aquatilia multa (terrestria nulla attestante Philosopho) quæ vel soluta ac libera, vel saxis affixa ac alligata vitam omnem immobiliter traducunt, suntque eius modi, ut ambigas animalia ne sint, an planta: quæ causa est cur eidem Zoophyta nuncupentur.

XXX.

Anima sensitiva quamvis partem sentiendi munere fungi, aut facultate pollere pernemamus; Dentes enim & ossa vivunt nec sentiunt. vngues, pili, sanguis, ceteri humores, spiritus tum vitales, tum animales, adeps item, lac, medulla (præter eam, quæ in spina dorsi concluditur, estque coniuncta cerebro) vita deſtituuntur. Improbandum tamen est, quod anima aut in solo corde, aut in solo cerebro reſideat, vt volebat aliqui: nam etiam in partibus alijs functiones vita dīgito ostenduntur.

XXXI.

Facultatum ab anima sensitiva pro manantium alia est interna, alia externa: interna etiam ligatis per somnum externis sensibus obiecta sensibilia percipit; quod quia diuersis modis præſtare potest, varia etiam à Philosophis nomina una illa facultas impetravit. Si enim percipiat obiecta ut presentia, sensus communis, si ut absentia, phantasia dicitur, si ad presentiam sensatorum non sensata, & res sub ratione conue-

conuenientis vel disconuenientis apprehendat, astimatiua; si componat non composita & effingat ea, quæ fieri nequeunt, imaginatiua; si denique retineat species rerum sensu non perceptarum, memoria animalis nuncupatur, quæ omnia nomina solùm ad multitudinem munerum, quibus illa fungitur, insinuandam multiplicantur.

XXXII.

Obiectum sensibile externarum sensionis facultatum aliud est per se tale, quod per se aptum natum est immutare potentiam: aliud per accidens, quod non primò, sed quasi alteri adiacens cognoscitur. Per se aliud est commune, à pluribus videlicet perceptibile, ut motus, quies, magnitudo, figura, numerus: aliud proprium, potens ab unico tantum sensu externo per se sentiri. Ad hoc autem ut res aliqua sub sensum cadant (e.e. minimum quæ visuā obiciuntur) produci debent ab ipsis qualitates quædā, quas species intentionales sensibiles appellamus. Haec qualitates licet primario nō producant notitiam, ad eam tamen eliciendā efficienter concurrunt una cum potentia: nec enim requiritur, ut quod effectum aliquem attingit quomodounque eiusdem eum eo sit rationis ac perfectionis.

XXXIII.

Externam sensitivam potentiam in errorem labi circa sensibilia tūm propria, tūm communia experientia notum est: sed hic error in sensione admis-

sus tolli potest ab alia potentia cognoscente, occasione etiam alterius sensus externi, tametsi nullus sensuum extenorū ne quidem suum, multò minus alterius actum queat ab errore liberare. Etsi verò negandum non est, D E V M præpotentem posse potuisseque plures facultates sensatrices animali infundere, quarum adminiculo accidentia quædam à cognitione sensitiva valde remota accurate posset cognoscere: de facto tamen non plures quām quinq; in eo reperiri adstruendū est; visum, auditum, odoratum, gustum, tactum.

XXXIII.

Visus circa colorata & lucida suis fungitur munieribus. Color (verus) est qualitas vera, realis, orta ex primarum certa temperie, distincta à luce & lumine; etenim ijs absentibus in subiecto remanet, non in sola superficie, sed etiam in corporis profunditate. Lumen itidem est qualitas vera, realis, ac materialis, in subiectis materialibus recepta, & ex ijs naturaliter educita. Quod verò aliqui asserebant lumen esse spiritualem substantiam, aliqui corpoream, aliqui esse formam substantialem lucidi, aliqui mendacem fictitiorum colorum apparentiam: prorsus fictitium est. Errant etiam ijs, qui putant lumen esse speciem intentionalem lucis aut coloris, lumen enim & lux prorsus idem sunt, & uniuersè omnes omnium lucidorum luges & inter se & cum lumine specie conueniunt.

XXXV.

Vt fiat actualis visio, atque adeo ut coloratum di-

distans in potentiam sui transmittat speciem, medium
colorato proximum lumine debet perfundi necessario:
id tamen, quod est propinquum visuæ potentia, pra-
sentiam eius non expicit; visio autem nō ab alicuius è
potentia effusione, sed à specierum ab obiecto producta-
rum receptione dicit originem. Potentiam visuam
non in nervis opticis, nec in humore vitreo, nec in tu-
nica reticulari, nec in aranea (quanquam hæc omnia
visus organum constituant) sed in humore chrystalli-
no residere asseueramus.

XXXVI.

Auditui in usu ac præstantia facile secundas
tribuimus. Est enim, teste Philosopho, sensus discipli-
nae. Obiectum eius est sonus, qualitas effectiù pro-
ducta à corporibus per motum localem vehementer
collisis. Sonum fieri ac recipi, in aëre indubitatum
est, quanquam improbari non debeat, quod etiam in
aqua excitetur. An autem aliquis fiat & recipia-
tur in corporibus solidis, ac præduris in inuicem im-
pactis, sub dubio relinquitur. Verum ubique tan-
dem fiat, is quantum est ex se, potest ac petit in in-
stanti fieri, licet ex accidenti, ratione videlicet succe-
siva applicationis sepe numero successiùne produca-
tur: qui ubi productus fuerit, vel ipse, vel eius specie-
es ad aliquod tempus remanebit desinente influxu
corporum sonantium. Auditio igitur fieri potest so-
no vel secundum suum esse reale, vel secundum spe-
ciem tantum potentia audituæ præsente.

D 3 Odo-

XXXVII.

Oderatus ab odoribus dicitur, in quos vim suam exerit. Odores sunt qualitates ex primis commixtis siccō dominante productae, olfactū perceptibiles medio corpore vel aëreo, vel etiam aquo. Odores, qui ut in subiecto extiterunt in re odorifera, ijdem numero non transeunt in medium, accidens enim non migrat de subiecto in subiectum. Dicendum igitur eos frequenter deferri realiter per medium una cum tenui & fumea exhalatione; quanquam sapè etiam percipientur, quò fumea exhalatio non pertingit. Potentia odorum perceptiva recipitur in carunculis, seu tuberculis duobus mammillarum figuram referentibus, in summa parte nasi intra oculos constitutis. Et vero licet sensus externi in quoquis animali eiusdem sint speciei, homo tamen in ratione olfactus à brutis multum perfectione accidentalī superatur.

XXXVIII.

Gustui ut materia sapor substernitur, qui Aristoteli affectio in humido aquo facta à siccō terrestri & calore decoquente gustatum à potentia ad actum per alterationem deducens describitur. Eius sēdes lingua est potissima, esculentorum quidem eius acumen, poculentorum basis ac radix maxime: unde ille Gurses atque Helluo collum gruis, dum biberet, expetebat, ea de causa videlicet, ut diutius ea delectatione, quam gustus potionum suauium ad basim lingua solet parere, perfrueretur.

Tactus

XXXIX.

Tactus circa qualitates primas occupatur; eius virtus nec in solo corde, nec in solis nervis, nec in sola carne, nec in certa aliqua parte dominatur, sed in omnibus animalis partibus, si terrestriores quasdam ut ossa, aliasque similes excipias, conseruatur. Unicum in animalibus omnibus specie infima tactum agnoscimus, quo & primas qualitates percipiunt & mollia, dura, &c. comprehendunt, nec enim necessitatem multiplicationis eiusdem ullum euincit argumentum.

DE ANIMATO RATIONE PRÆDITO.

XL.

Animalium nobilissimum iure optimo id agnoscitur, quod hominis nomine insinuitur; quippe cum homo solus ex alijs omnibus ad diuinam propemodum naturam videatur accedere: solus enim habet animam à morte liberam, spiritualem, indivisibilem, totam in toto, & totam in quauis parte: cetera vero omnia formam corruptione terminabilem, è materia progeneratam, ideoque divisibilem, cuius pars partem materia, tota totam debeat informare. Unicam numero

mero rationalem animam uniuersis hominibus extrinsecus assistere, & non cuiuis à DEO infundi peculiarem ac propriam, impium pigmentum est, & Christiana repugnans fidei. Ei nos acquiescimus sententia, qua asseritur hominem unum perfectionibus accidentalibus tam supernaturalibus, quam naturalibus antecelli ab alio, negatur autem animam unius esse substantialiter perfectiorem anima alterius.

XLI.

Quia verò materiale in immateriali, & contra, immateriale in materiali subiectari non potest, potentias animæ rationali respondentes esse spirituales & inorganicas congruum est. Huiusmodi sunt Intellectus, Voluntas, ac Memoria. Quanquam hæ re una eademq; animæ rationalis entitas in ordine ad exercitia varia per intellectum in plures rationes distributa censeri possunt. Dum enim ut prima & fundametalis radix intellectionis concipitur, anima rationalis & actus primus hominis dicitur; dum ut proxima aptitudo ad intelligendum intelligitur, Intellectus vocatur: denique dum retinens species rerum iam antea a se intellectarum, & easdem denuo cognoscens iudicatur, memoria rationalis nuncupatur. Quod autem intellectus dicatur Agens, eo quod non tantum intellectionem eliciat, sed etiam speciem ad illam requisitam ex alicuius phantasmatis imagine effingat; Patientis quod easdem recipiat, maiorem quam rationis ratiocinate, non requirit distinctionem.

Intel-

XLI.

Intellectio seu actus intellectus & conceptus formalis constat non solum qualitate quadam spirituali, verum etiam forma alia accidentalis, quae via est ad eam qualitatem. Intellectio duplex est, simplex alia, alia complexa: simplex alio nomine apprehensio simplex, seu intellectio indivisibilis dicitur, eo quod per illam obiecta, absque eo quod aliquid de ipsis vel affirmetur vel negetur, per intellectum apprehendantur. Complexa a Philosopho facile in iudicium seu in enunciationem, quae aliquid de aliquo affirmando vel negando pronunciat; & in iudicium latuum seu discursum, in quo unum ex uno vel pluribus colligimus, subdividitur.

XLII.

Intellectui potentiae tam nobili, & in suis actibus expedita non solum universalia obiecta, sed etiam singularia sensibilia, plura ut plura contemplanda propone nemo potest inserviari. Adeo vero perfectus adeoq; potens est, ut se supra se eleuet, suos actus diuidet, bonos approbet, prauos corrigat. Quin imo etiam in hac vita materie immersus DEV M optimum maximum & Angelos considerat, quanquam actibus longe imperfectissimis, non enim dari videntur omnium rerum species propriæ; ideoque quedam arguitur ut loquuntur tantummodo cognoscuntur.

XLIII.

Porro intellectus actum aliquem unum exercendo

E

cendo

cendo formam stabilem quandam sibi acquirit, qua ad operandum de cetero promptior efficitur. Forma huiusmodi quia ab actu primo ordinariè remissa producitur, facileq[ue] deperditur, communis sermone dispositio dicitur. Postquam autem ab actibus pluribus priori intensionibus magis perfecta atque adaucta fuerit, Habitus nuncupatur, eò quod difficile corrumpatur; habitus enim nomine qualitatem permanentem, & de se stabilem intelligimus. Quemadmodum augeri ac perfici, ita etiam minui ac corrumpi potest habitus, sed non nisi ab actibus contrarijs illis, ex quibus est genitus, & quidem à contrarijs actibus destruitur effectiue, formaliter autem ab ipso habitu sibi contrariante.

XLV.

Habitum intellectualium alius est Intellectus, seu habitus principiorum, alius scientia. Intellectum voco qualitatem eiusmodi, qua imbutus intellectus facile & promptè propositionibus indemonstrabilibus assentitur. Is nobis ingenitus non est, sed usu ac exercitio acquiritur, atque ideo à facultate naturali distinguitur. Habitus principiorum unius totalis scientia specie distinctos dari nobis est certum.

XLVI.

Habitus scientificus est qualitas in intellectu permanens distincta ab habitu Intellectus, & à speciebus intelligibilibus, intellectum inclinas ad assensum conclud-

clusionis facile eliciendum. Illi error contrariatur, quem tamen probabile est in actu remisso cum scientia habituali in eodem subiecto posse conuenire: quamquam & habitualis scientia ab errore habituali, & actualis ab actuali ex eadem potentia depellatur. Opinionem & scientiam de eodem obiecto necessario in eodem intellectu coire non repugnat, quamcunque tandem cum ijs quis ingrediatur comparisonem.

XLVII.

Totalē scientia habitum non esse unam vera & Physica unitate qualitatem ex eo luculenter ostenditur, quod ex pluribus specie diuersis habitibus solum per aggregationem constituatur. Quare si quae scientia totali tribuenda est unitas, eam à ratione formalis subiecti attributionis desumptam esse oportet. Licet verò diuersarum scientiarum totalium diuersa sint prima principia, modus tamen illa cognoscendi varius ferè commentitius est. Aliqui ab unitate abstractionis desumunt unitatem, à diuersitate, scientiarum totalium diuersitatem. Sed viris quibusdam grauissimis non probatur.

XLVIII.

Habitus scientificus alius est speculatius, qui intellectum absolute, alius practicus, qui eundem quantum alicuius operationis est directius, perficit. Ad hoc autem ut scientia aliqua dicatur practica, obie-

ctum requirit operabile, tametsi non omnis cognitio
scientifica de tali obiecto sit practicè practica. ea enim
solum habetur huiusmodi, quæ est de opere aliquo in
particulari hic & nunc exercendo cum voluntate
operandi.

XLIX.

Quemadmodum autem intellectus principia ali-
qua cognoscit solis extremis eorumq; nexus apprehensis,
ijsq; sine ullo assentitur medio, aliquorū vero assensum
per discursus inuestigat: ita etiam voluntas fertur in
obiecta aliqua cognita ut bona nullâ alterius percepta
bonitate, in aliqua vero non nisi aliunde eorum con-
uenientia manifestata. Et vero licet voluntas non
possit ferri in rem aliquam nisi apprehendatur ut
conueniens, eandem detestari, nisi iudicetur discon-
ueniens: intellectus tamen non influit effidente in a-
ctum voluntatis, sicut nec voluntas in aliarum po-
tentiarum operationes.

L.

Intellectus & voluntatis, aliarumque facultatum
hominis radicale principium (animam rationalem in-
telligo) destitutum consortio corporis, potentiarum spi-
ritualium earundem erit principium, quarum fuit
cum iungebatur materia: materialibus autem a-
ctu carebit omnibus. In intellectu vero rationalis a-
nimæ separata & species ad actum intelligendi ne-
cessa-

cessaria, & habitus scientifici possunt remanere.
Quare intellectus agens nouas non producet species,
sed quacunq; anima in illo statu constituta intellexerit,
intelliget per hic acquisitas, vel certe per in-
fusas sibi à D E O super omnia

BENEDICTO.



E 3

IN-

JNGENVO AC ERVDI-
TO DOMINO GEORGIO IVRLITSCH
CARNILO, ARTIVM LIBERALIVM
& Philosophia Baccalaureo: Serenissimi Archiducis
Ferdinandi, &c. Musico: Philosophicarum asser-
tionum propugnatori strenuo amoris &
benevolentie causa offerunt

NOBILES, INGENVI, AC ERV-
ERVDITI IVVENES

Naturæ penitis inserta arcana medullis,
Ingenij mirâ detegiſ arte tui.
Quin & Aristotelis cōtexta volumina nodis,
Illustras mentis dexteritate tuæ. (cet:
Rursus Alexander cernens hæc dogmata, di-
Heu cadit imperij splendor & aura mei.

WOLFGANGVS JÖCHLIN-
GER Styrus, Nobilis, Con-
discipulus.

Solis in aspectum penetrat Iouis inclitus ales
Intentus summa lumina recta faci.
Sed quid? plus penetras, IVRLITSCH, qui dogmata
Percipis ingenij dexteritate Sophus. (rerum
Quod

*Quod dico, exiguum est : quid ni Ioue cretus es ipso ?
Certè Palladia frater habere Deo.*

JOANNES BLASIVS JÖCH-
LINGER Nobilis : *Philosophia*
Baccalaureus.

*S*picula non terrent generosæ mentis Athleten,
Flagrantes ignes euomit icta silex.
Strenue miles aue. Quis tanti roboris autor?
Robur id an Sophiæ docta palæstra tulit?
Imo tulit. Mentem valido sapientia cinxit
Muro, & iam cinctæ fortia tela dedit.

VRBANVS STANDLER Carnio-
lus, Logices Auditor.

*Lauds DE o Virginiqz Matri
MARIAE.*



